

concessæ Episcopi in perpetuum possidere concessit, super quod publicum instrumentum proferebat. Prædictus vero Episcopus dicebat licet molendinum a dicto Episcopo ei datum fuisset, nihil tamen sibi prodesse cum ipsius Episcopi vita talis fuit, ut a B. M. D. Eugenio quondam Apostolico legitima, & solemnè accusatione præcedente merito, & canonicè depositus fuerit, adeo enim res omnes, & possessiones Episcopatus malevivendo, quod & nefas est dicere dissipavit (1), & consumpsit, quod non solum Episcopus, sed nec etiam unus capellanus de toto Episcopatu necessaria habere poterat, quod sanctus prædictus Apostolicus in veritate ita esse cognoscens, miseriæ, & desolationi Aquensis Ecclesiæ compatiens omnes alienationes a præfato Episcopo factas consilio Cardinalium, & D. O. Mediolan. Archiepiscopi, (2) & universorum Lombardiæ Episcoporum, qui tunc cum eo erant, & aliorum multorum sapientum cassavit, & ad irritum deduxit, & omnibus, qui ab eo res Episcopatus quocumque alienationis titulo acceperant, ut eas prædicto Episcopatu restituerent sub pœna excommunicationis firmiter præcepit, & ad hoc probandum publicam, & communem famam introducebat. Allegabat insuper præfatus Episcopus, quod Petrus Resperge coram D. U., qui tempore Imperatoris administrationem Aquensis Episcopus habebat, & pro Episcopo habebatur, confessus est, & convictus fuit prædictum molendinum proprium, & Dominicum esse Aquensis Episcopi, & quod posset auferre, & pro velle suo, vel sibi retinere, vel alii dare, & se nihil juris in prædicto molendino habere, sive administrationem, (3) & nec fictuario nomine, nec aliquo alio modo, nisi quantum placuerit Aquensi Episcopo in prædicto molendino amplius petere, & si quid juris in eo habebat in manibus D. Ug. finem, & refutationem fecit, & ut non liceret (4) ei hoc ullo tempore negare per manus Hugonis notarii instrumentum fieri rogavit, quod instrumentum una cum pluribus testibus præfatus Episcopus producebat. Petrus e contrario dicebat huiusmodi finem, & refutationem, sive concessionem (5) nihil sibi præjudicare, quam vi, vel metu eam potius quam sponte præsumendum est fecisse. Dicebat quoque D. Gulielmum Aquensis Ecclesiæ Catholicum Episcopum postquam rediit ab exilio, quo erat tempore Imperatoris prædictum molendinum nominatim sibi investivisse, & ipse plures testes habebat. Ad hæc Episcopus dicebat investituram istam minime valere, tum quia a Domino Mediolanensi Archiepiscopo consecrationem ab eo accipere debuit exigentibus Aquensibus clericis, ne res Episcopatus ullo modo alienarentur, quod etiam ipse Episcopus propria manu observaturum jurejurando promisit, tum quia ejusmodi investitura absque consilio clericorum, & vassallorum facta fuit; tum quia tempore hujus pessimæ investituræ Ecclesia immodice læsa, & enorme damnum passa fuit, & super hoc plures inducebat testes.

(1) Dissipaverat sic in vet. exempl. (2) Non alius certe quam Obertus, qui ex Ughello p. 150 fuit Archiepiscopus Mediolan. ab an. 1145. ad 1155. (3) Sine administratione. (4) Licet. (5) Concessionem.

*Præceptum Algisisii Archiep. Mediolan. Monachis S. Petri, ut sententiæ a se latæ obsequantur ex Arch. Cap. Aquen. ab an. 1176 ad 1185.*

Episcopus Alg. Dei gratia sanctæ Mediolanen. Ecclesiæ Archiepisc. dilecto fratri HL. Abbati S. Petri Aquensis, ejusque fratribus salutem, & omne bonum. Grave gerimus, & molestum intelligentes, quod cum nos inter vos, & canonicos Aquenses super parrochia Civitatis, & Suburbii nostram jam pridem dederimus sententiam, parrochiam, & jura parrochialia canonicis adjudicantes, vos contra sententiam latam venire non timentes, ea, quæ ipsis canonicis adjudicavimus, illicite usurpatis. Quoniam igitur non est tutum falcem in alienam ponere messem, præsentibus scriptis vobis præcipiendo mandamus, quatenus sententiæ latæ pareatis, nec in pœnitentiis, seu visitationibus, vel aliis, quæ ad jus parrochiale pertineant de parrochianis illorum vos intromittatis, nec nostræ sententiæ in aliquo præsumatis derogare.

*Concordia Gulielmi Marchionis Montisferrati cum civitate Alexandria ex apographo an. 1320. 1. decembris coram Ottone de Rivara Judice Clavassii ex originali descripto. MCLXXXVIII.*

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo LXXVIII. die martis, quæ est XIII. mensis junii indictione XII. Breve concordie, & pacis factæ, & compositæ inter D. Gulielmum marchionem Montisferrati, & ejus filios, & ex altera parte homines Alexandria civitatis per eorum missos D. Hubaldum de Boslerio potestatem eorum, & Petrum Canefrum, atque Balerinum eorum consules; quæ pax, & concordia talis est. Ipse enim D. Marchio per se, & prænominati potestas, & consules Alexandria, & per omnes homines suæ partis, & per se, & Alexandrinos, & per omnes homines suæ partis fecerunt invicem finem, & pacem de omnibus maleficiis hinc inde usquemodo perpetratis a quocumque, & qualicumque facta forent. Insuper dictus Marchio juravit ad sancta Dei Evangelia, quod bona fide sine fraude tenere habet amodo firmam pacem per se, & per suos homines omnibus Alexandrinis, & omnibus hominibus suæ partis in personis, & rebus eorum omnium, & quod bona fide salvare, & guardare habet omnibus hominibus Alexandria omnes eorum res, & bonas usancias, quas habebant tempore, quo D. Fridericus Imperator primum venit Tertionam, & quod laudare, & confirmare habet statum civitatis Alexandria, & quod bona fide, & sine fraude, & malo ingenio dabit operam ad suum posse, ut Dominus Fridericus Imperator hæc omnia laudet, & confirmet specialiter statum Alexandria, ut eam in civitatem laudet, & confirmet, & quod omnes qui sunt, vel fuerunt de VII. locis, ex quibus Alexandria constat esse ædificata, sive sibi, sive dicto Friderico Imperatori fidelitate, vel concordie custodia teneatur penitus absolvat, & absolvi faciet usque ad proximum festum S. Petri. Nec de cætero aliquem Alexandri-